

1283, abril, 28

Guillema de Bellestar, Raimunda de Cervià i Agnès d'Escala, compromissàries de les monges de Sant Daniel, junt amb Pere, abat de Sant Pere de Galligants, elegeixen i postulen Cecília de Foixà com a abadessa.

ASD núm. 261. perg. orig., 375 x 285 mm; carta partida.

Nouenint uniuersi quod ecclesia seu monasterio Sancti Danielis ordinis beati Benedicti quod est situm iuxta ciuitatem Gerunde, abbatisse et prelate solacio destituto, domina Cecília de Fuxano priorissa et uniuersus conuentus eiusdem monasterii, attendentes quod propter defectum abbatisse et prelate poterant in spiritualibus et temporalibus non modicum incurrere detrimentum, et uolentes occurrere periculis animarum et indemnitatibus prouidere super prouisione futuure abbatisse et prelate eisdem et dicte ecclesie facienda compromiserunt in nos Guilielma de Belèstar subpriorissam, Raimundam de Ceruiano et Agnetem de Scala, moniales monasterii antedicti nobisque dederunt plenam, liberam et integram potestatem eligendi, postulandi et preficiendi abbatissam et prelatam et de eadem abbatissa prouidendi uice nostra et sua nobis et ecclesie antedicte de consensu, consilio et uoluntate uenerabilis patris et domini Petri, Dei gratia abbatis Sancti Petri de Gallicantu ordinis antedicti, de nobis uel aliis de gremio monasterii supradicti, promittentes nobis quod illam haberent admitterent et reputarent semper per abbatissam et prelatam nostram et suam et monasterii memorati, quam nos omnes uel maior pars nostrum de consilio et uoluntate iamdicti abbatis eligeremus, postularem uel etiam preficeremus in abbatissam et prelatam ecclesie seu monasterii sepedicti et de qua duceremus eidem ecclesie prouidendum hinc usque ad horam nonam seu pulsacionem hore none in predicto monasterio ista die, ut in scriptura compromissi ah ipsis inde nobis facti lacius et plenius continetur. Unde nos Guilielma de Belestar, subpriorissa, Raimunda de Ceruiano et Agnes de Scala, electrices seu postulatrices predictae, habito nobiscum et domino abbate predicto diligenti tractatu collacione multiplici mediante, habentes pre oculis solum Deum, in nomine Domini nostri Ihesu Christi et gloriosissime uirginis Marie et ad honorem ac laudem eiusdem ac gloriosi martiris Sancti Danielis uice nostra et omnium de conuentu predicto, de consilio et uoluntate domini abbatis Sancti Petri de Gallicantu predicti, conorditer et unanimiter consentimus et dirigimus uota nostra in uenerabilem dominam Ceciliam de Fuxano, priorissam nostri monasterii supradicti, dominam nobilem, prouidam et discretam, cui grauitas morum, sciencia que competit literarum, etas legitima et alia quamplura merita suffragantur, ipsamque uolumus et cupimus in abbatissam et prelatam nostram et dicte ecclesie postulari et de persona ipsius nobis et ecclesie prouidi. Uolumus etiam postulacionem ac prouisionem huiusmodi fieri ac pronuciari uice nostra et omnium de predicto conuentu per dictum abbatem superius nominatum, quam etiam postulacionem et prouisionem et pronuciacionem postulacionis et prouisionis nos uniuersus conuentus predictus fieri uolumus per eundem. Unde ego frater Petrus, Dei gratia abbas Sancti Petri de Gallicantu predictus uice iamdictarum dominarum electricium seu postulancium et de expresso consensu et mandato earum et uice omnium aliarum de conuentu Sancti Danielis predicti que · hanc postulacionem et prouisionem ac

pronunciacionem ipsius per me fieri uoluerunt, postulo prenominatam dominam Ceciliam de }luxano, priorissam monasterii Sancti Danielis predicti in abbatissam et prelatam eiusdem monasterii seu ecclesie Sancti Danielis sepius nominati et postulando prouideo eidem ecclesie et monasterio de eadem. Unde nos uniuersus conuentus predictus, ut presens decretum pleniori gaudeat firmitate, predictam postulacionem et prouisionem unanimiter et concorditer ratam habentes atque gratam et eam eciam approbantes, 'subscripciones omnium et singularum nostrarum hic apponi precipimus et mandamus per notarium infrascriptum.

Que omnia fuerunt acta .nn. kalendas madii circa horam tercię ante meridiem, anno Domini millesimo .CCLXXX. tercio.

Sig+num Guilielme de Belestar, subpriorisse, sig+num Raimunde de Ceruiano, sig+num Agnetis de Scala, electricium seu postulatricium predictarum. Sig+num Agnetis de Solerio, sacristane, sig+num Berengarie de Trilia, cabiscole et operarie, sig+num Guilielme de Sarriano, camerarie, sig+num Fresche de Torrente, pietarie, sig+num Blanche de Miniana, sig+num Sibilie de Sancto Cipriano, sig+num Richencie, sig+num Sancie de Ceruiano, sig+num Brunissendis de Cursauello, sig+num Pelegrine de Sancto Genesio, sig+num Geralde de Podiopardinarum, sig+num Elicsendis de Basilia, sig+num Bartolomee de Ciyario, sig+num Guilielme de Aquilario sig+num Ermeniardis de Uillacuto, sig+num Garsendis de Matha, sig+num Alamande de Castayeto, sig+num Berengarie de Castro Episcopali, sig+num Beatricis de Capraria, dominarum monialium monasterii supradicti, que hoc unanimiter firmamus et laudamus, firmarique rogarrius. Eg+o frater Petrus, Sancti Petri de Gallicantu abbas, subscribo'. Testes huius rei sunt Dalmacius de Rechesendo, precentor Gerundensis, Guilielmus de Matha, canonicus et Guilielmus de Comellis, presbiter de capitulo Gerundensi et Arnaldus de Locustaria, canonicus Sancti Felicis Gerunde et Berengarius Mirèti, capellanus Sancti Danielis.

Sig+num Guilielmi Tarasconi, qui mandato Raimundi Ollarii de Palaciolo, notarii curie domini episcopi Gerundensis hoc scripsit, cum rasis et emendatis in secunda linea ubi dicitur "abbate et", et alibi ubi dicitur "temporalibus non", et cum suprascripto in nona linea, ubi dicitur "ipsis". Ego Raimundus Ollarii (s. man.) de Palaciolo, notarius curie domini episcopi Gerundensis qui predictis omrtibus et singulis presens fui et hoc scribi feci, subscribo.

Hi ha una acta d'elecció i postulació molt semblant, que porta data de .VI. idus madii i que presenta com a diferència principal el fet que a les tres compromissàries hom afegeix Gueraua de Puigpardines. Fou reutilitzada en l'elecció abacial de 1295, i la reproduïm amb el núm. 407. Que aquesta fou l'acta vàlida ho indica el núm. següent, on les compromissàries resulten ser quatre i no tres.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 546-549